



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1859

LII. Markgraf Ludwig vereignet dem Dorfe Diesdorf im oberen Dorfe
Griben, im Dorfe Eichorst und im Dorfe Wusbotel mehrere dienstpflichtige
Bauern, am 15. Januar 1345.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54934)

LII. Markgraf Ludwig verzeiguet dem Dorfe Diesdorf im oberen Dorfe Griben, im Dorfe Eichorst und im Dorfe Wusbotel mehrere dienstpflichtige Bauern, am 15. Januar 1345.

Nouerint etc. Quod nos Ludovicus etc. Ob remedium et salutiferam memoriam magnificorum principum marchionum brandenburgensium bone recordationis predecessorum nostrorum, animarum nostre, heredum et successorum nostrorum appropriauimus et appropriare decreuimus Religiosis et deodatis personis sanctimonialibus claustrum Distorp, ordinis sancti augustini verdenensis dyocesis, In suprema villa Griben tres colonos, seruitium annuatim claustro prenotato facientes; In villa Eichorst vnum colonum dictum Johan Rademan, seruitium eidem claustro temporibus annis facientem; In villa wusbotel seruitium et aduocatiam, sed singulis annis iuribus nostris in premissis nobis competentibus omnimode exclusis, sine inquietatione qualibet perpetuis temporibus tenenda quiete et pacifice pertinenda. Renunciantes etc. que nobis in premissis eo modo ut superius exprimitur competebant vel competere possent aliquantulum in futurum. Pro qua appropriatione nobis eiusdem claustrum prepositus in X marcis argenti integraliter satisfecit. In cuius etc. testes Datum ut supra (Buch, Swyker, Aluesleuen, Ger. Wolf cum ceteris) — Stendal, anno M. CCC. XLV, Sabbato post octavas epyphanie domini.

Nach dem Copialbuche der Vogtei Arneburg Nr. CLXXII.

LIII. Helmric von Stolpen, Bürger der Altstadt Salzwedel, verkauft dem Kloster Diesdorf Wiesen bei Werle, am 11. Mai 1350.

In nomine domini amen. Ego Helmirus de Stolpen, ciuis veteris ciuitatis Soltwedel, presentibus recognosco protestans euidenter uniuersis, quod mea prouida deliberatione prehabita et pleno consensu omnium meorum heredum et amicorum super hoc requirendorum rite rationabiliter et iusto venditionis titulo vendidi et dimisi et presentibus vendo et dimitto honorabili domino Vlrico, preposito, reuerende domine Mechtildi priorisse totique conuentui Sanctimonialium ordinis S. Augustini in Distorp dimidietatem maioris et minoris pratorum sitorum retro villam Werle, Et coram iudicio firmato et ciuibus siue villanis in Walstaue predictis preposito priorisse et conuentui in Distorpe per dominum Henricum presbyterum et Helmirus, filios meos, feci et iussi resignari cum omnibus, quibus prefatam dimidietatem antedictorum pratorum usque in hodiernum diem habui et possedi, libere et pacifice perpetuis temporibus possidendam. In cuius rei verius testimonium presens scriptum meo sigillo et sigillis meorum amicorum videlicet Gerhardi Drusdou et Helmoldi Krateken feci scienter et firmiter communiri. Datum et actum anno domini millesimo tricentesimo quinquagesimo, feria tertia ante festum penthecostes, presentibus discretis viris, Sifrido de Walstaue, Vickone Brucker, Mathia Vmmefelde et multis aliis fide dignis ad premissa pro testibus specialiter vocatis et rogatis.

Gercken's Dipl. I, 441. 442.